

Archives historiques du Maine II

Actus Pontificum Cenomannis in urbe degentium

Publiés par l'abbé G. Busson et l'abbé A. Ledru.

Le Mans 1902

The will of Bertramn, bishop of Le Mans (586-626), pp. 101-141

Corrected OCR-text found at Google Book Search

<http://books.google.com/books?id=KI1LAAAAMAAJ>

[?] Uncertain reading.

by Johan Åhlfeldt.

2008-03-23

Find more merovingian and carolingian primary sources at

<http://www.francia.ahlfeldt.se>

Sequiter exemplar testamenti praedicti domni Bertichramni, quod fecit pariter Cenomanice matri ecclesie et monasterio sancti Petri, sicut in haec habetur insertum, quod ideo his in Gestis pontificalibus inseruimus, ut si aliqua, quod absit, negligentia perditum fuerit, hic repperiatur; per quod scitur qualiter actum fuit.

[616, 27 martii.]

In nomine Domini nostri Ihesu Xpristi et Spiritus Sancti, sub die sexto kalendas aprilis, anno XXXII regnante gloriosissimo domno Clothario rege, Bertrannus, etsi indignus peccator, episcopus sanctae aecclesiae Cenomannicae, sanus, Deo propitio,

mente et corpore, sanoque consilio, metuens casus humanae fragilitatis, testamentum meum concedi, eumque filio meo Ebbone notario scribere rogavi et dictavi. Quo testamentum meum, si quo casu, jure civile aut jure preterirem, vel alicujus novae legis interventum valere nequiverit, ac si ab intestatum ad vicem codicellorum valere eum volo et valeat.

Itaque quando ego suprascriptus Bertrannus peccator ex rebus humanis excessero, debitum vel naturae tempus complevero, tunc tu, sancrosancta aecclesia Cenomannica, una cum sancta ac venerabili basilica domni Petri et Pauli apostolorum, que in conspectu civitatis, opere meo, pro defensione civitatis vel salubritatem populi aedificavi, heredes michi estote, heredesque meos vos esse constitue ac jubeo; caeterive exheredes sint toti.

Omnis itaque cui hoc testamentum meum dederò, legavero, dari vel jussero, id ut detur, fiat, prestetur, fidei heredibus meis committo; si quos autem liberos esse jussero, liberae liberi ve sint toti. Et quia inclitus atque praecelsus dominus Chlotharius rex, cui Deus in milia aeternam retribuatur beatitudinem, suum praeceptum manus suae jure firmatum michi dedit, ut de propria facultate, quod ex parentum successione habeo, seu quod munere suo consecutus sum, aut aliquid comparavi vel comparare, Deo adjuvante, potuero, vel in quibuscunque rebus atque corporibus facultatum augmentare potuero, tam pro animae meae emedium, quam propinquis meis seu fidelibus meis delegare voluero, liberum tribuit arbitrium; iccirco te, sacrosancta aecclesia Caenomannica, heres mea, habere volo ac jubeo: villam juris mei, cujus vocabulum est Bonalpha, sita in territorio Stapense seu Sequalina silva, et michi praecelsus dominus Chlotharius rex, suo

munere, una cum praecelsa domna Fredegunda regina quondam genitrice sua, postquam eis dominus Vaedola iusticia eorum reddidit, in me humilem eorum, pro fidei meae conservationem, quae semper circa ipsum principem, inviolabilem tenere habere visus sum, concesserunt: ipsam villam, cum domibus, mancipiis, vineis, silvis, campis vel omni jure, et adjacentibus suis, tam mobilibus quam et immobilibus, post obitum meum, tibi valeas perpetualiter possidere; excepto quos exinde liberare voluero: similiter agrum Culturam eo tempore acquisitum, te, domna heres mea aecclesia, habere volo ac decerno; ex quo agro medietatem bonae memoriae domna Ingoberga quondam regina, mea instantia, meoque exigente servitio, sanctae Mariae dereliquit; aliam vero medietatem, de germano ipsius Magnulfo, quondam, dato precio, comparavi; ut in jure sanctae aecclesiae ager ille ad integrara pervenerit: et de villa Celonica, sita in territorio Tricurino, quam bonae memoriae Bobolenus medietatem aecclesiae delegaverat; et pro ipsa medietate multas habui vexationes, sed meo opere egi ut de jure sanctae aecclesiae non auferetur; etiam et postea aliam medietatem, quam uxori vel heredibus suis ad possidendum delegaverat, dato pretio, ad integrum comparavi, et in dominationem meam pervenit; volo ut ipsam villam, cum omni integritate, tu, sancrosancta aecclesia heres mea, una cum Fano Vicinoniae, quicquid inibi comparavi, aut meo opere adquisivi, cum portione illa quam in Bructiago comparavi, ubi domos aedificavi et mancipias stabilivi, cum id quod adhuc, Deo propitio, in ipsis agris inmeliorare potuero, cum omni integritate eorum, et mancipia inibi commanentia, tibi, sacrosancta aecclesia, volo esse donatum. Itemque et villa Brea, quem michi Daulfus per donationis titulum contulit, et ego postea michi comparavi, velut

quaecumque subjunxi, vel ut ipsam villam cum omni integritate sua, sicut a me praesenti tempore possidetur, in dominationem sanctae aecclesiae Cenomannicae heredis meae perduret. Sed quam plurima, que memorare novero, tibi, meo studio, sancta aecclesia, adquisivi. Et licet omnibus, Xpisto propitio, notum sit qualiter ego aut quam fideliter in sancta aecclesia aut in monasteriis aut in cunctis rebus laborassem, tamen et tu, domne pontifex, quem Deus in eis post me esse voluerit, cognoscere potes quanta ibidem meo studio vel labore, tempore meo, Deus est dignatus conferre. Quod si fide integra disponis inquirere, cognosces me tuae aecclesiae non modicum laborasse: unde tibi ineptum esse non debet, si aliquid de rebus sanctae Mariae cuicumque ex fratribus nostris, hoc est presbyteris et diaconibus seu lectoribus, aut propinquis meis vel amicis aut servientibus, tam sanctae aecclesiae quam et meis propriis, cuicumque aliquid in usufructu dimitto; quia sanctae aecclesiae proprietatem non aufero, et de substantiola mea heredem ipsam constituo.

Et quia sanctae recordationis domnus Domnolus, quondam episcopus, de agris aecclesiae aliqua locella ad basilicam suam, ubi requiescere videtur, delegavit; sed nobis molestum fuit, ut iterum nos simile conditione, de agris aecclesiae aliqua auferre aut minuare deberemus, ut basilice sanctorum Petri et Pauli apostolorum, quam in honore eorum nominis construxi, conferre deberemus. Sed magis pertractans cum consilio venerabilium fratrum nostrorum presbyterorum, seu diaconorum, vel omnium clericorum, ut unum locellum de aecclesiae conditione ad ipsam sanctam basilicam, non tantum pro necessitate, sed propter primitias vel reverentiam ipsorum domnorum apostolorum, et quod mater sancta aecclesia, quae omnes basilicas ad se pertinentes fovet ac dictat, convenit cum domnis pontificibus, diem illum, quo benedictio caelestis vel reliquiae sanctorum Petri et Pauli apostolorum in ipsa basilica positae sunt, et dupliciter divina opitulante gratia, a sanctis sacerdotibus consecrata est in

honorem sanctorum apostolorum, vel loci illius consecrationem: villa Wibriaco, quem Basilius et Baudegundus, quondam, per donationis titulum, ad sanctam aecclesiam condederant, post eorum obitum possidendam; unde et nos postea jugiter laboravimus ut aecclesiae non auferetur, post ea omnia supradicta quod per me humilem sanctae aecclesiae proficit aut obvenit, ita praedicti Wibriaco, quia in suburba basilice domni Petri et Pauli apostolorum, quae meo opere aedificata esse dinoscetur: ad ipsam sanctam aecclesiam, Xpisto propitio, debeat in perpetuo permanere, id michi placuit delegare.

Ut villa Nimione, sita in territorio Parisiaco, cum vineis quae Frontanito ad plastarias et vinitores esse noscuntur, quas michi domnus Chlotharius, rex, dedit, quae meo sepius, dum laicus fui, tam de fisco, quam de comparato, possidendum

sanctae aecclesiae Parisiacaе, sub cuius gratia nutritus sum, ad integrum volo esse donatum.

Basilicae vero sanctorum ac beatissimorum Petri et Pauli apostolorum, quem superius heredem, una cum sancta aecclesia Cenomannica constitui, sicut mea est devotio, quia ibidem meum, quandoquidem Deus voluerit, desidero collocare corpusculum: ad ipsam sanctam basilicam, in honore sanctorum apostolorum, ut pro facinore meo quod hic in saeculo jugiter visus sum perpetrasse, ut ipsi apostoli suffragiis suis, ab infernali poena me liberare dignentur, et si non in gloria — quod non mereor — vel veniam eorum patrociniis aut intercessionibus, merear obtinere: dono itaque ad ipsam sanctam basilicam villas sitas tam in territorio Cenomannico, quam et in Stanpense vel Burdigaliase, aut ubicumque — tam per donationis titulum, quam ad ipsam basilicam jam die natalicii sui dedi, verum etiam quod et adhuc per testamenti istius paginara dedero: — quas michi domnus gloriosus Chlotharius, per suam munificentiam contulit, vel pro fidei meae conservationem, ad integrum, suis praeceptionibus manum suam roboratus, michi integram tribuet licentiam, ut praedicto loco, pro animae meae remedio vel sui regni stabilitate, ipsas villas, quas munere suo promerui, conferre debere. Haec sunt villas: Crisciaco, Villa Thedonae, Colonica nomine Telate, et alias villas Buresaco, et mansiones in Wastinense, quas de viro illustri Warnachario, majorem domus, pro villa Columbaria percepimus.

Illud vero rogo atque jubeo abbatibus, qui per singula tempora, sicut divina potentia aut gratia domnorum apostolorum eos inibi jusserit perdurare: ut omni tempore vitae eorum, hoc sit eis potissimum observandum, ut de villis superius nominatas, quicquid exinde aut in tributum aut in suffragium, annis singulis

poterit obvenire, medietas ex hoc, quando fuerit mea commemoratio, pauperibus, aut in vestimentum aut in aurum erogetur: alia medietas, luminis exinde in sancta basilica omni tempore sufficienter accendatur, ut nunquam sit neque una hora noctis, absque luminaria ipsa sancta basilica, nisi, sicut dignum est, in honorem praedictorum apostolorum, luminis omni tempore fulgeat indesinenter, tam ad basilicam sanctorum Apostolorum, quam et ad Sanctam Crucem, quem postea aedificavi, vel ad basilicam domni Martini ad sinodochium, que est ad Pontileuga; excepto de fructibus aut reliquis conditionibus, quod de praedictis agris speratur in usibus sanctae basilicae et monasterii sui, sive alimonia canonicorum vel pauperum, qui ad ipsam basilicam sanctam ad matrico sedere videntur, victus et vestitus, per singulos annos, sufficienter ministretur; et pro meis expiandis peccatis, jugiter Domino deprecantur, et pro collata principis coelestis eidem et regnum longevum praestet, et in retributionem aeternam centuplum accipere mereatur.

Aecclesiae ve herede meae: villa Dolus, quod meo opere construxi, et meo ingenio vindique ad me pervenit, post diem obitus mei, quicquid inibi laboravero, domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, cultis et incultis, et omni jure suo, vel termino suo, quod ibi justo ordine vel traxi, te, sancta aecclesia, in integrum habere delego.

Basilicae sancti Petri et Pauli: villas, quas dato pretio comparavi, id est: Gaviaco, Colonica, Landolenas et Ferrensis, meo

opere undique adquisitas, et Cellis vel in Samarciago, ad prope Cenomannis civitate, quicquid Portithorengo, quem per tutelam percepi, inibi fuit, et hoc quod Ceta et Mancina vel Guntha illuc possedissee jure visae fuerant, et ad meam pervenit ditionem, tam terris, vineis, ac colonis et servis, integra portione eorum: similiter et villas quas in honorem basilicae domni Petri et Pauli comparavi, de pecunia quam gloriosus dominus Chlotharius rex nobis dedit, vel nos cum ipso, pro fidei nostrae undique conquisivimus, — haec sunt villae ipsae: Campo Chunane, Ludina et Comariago, vel Cambariaco, sicut venditiones edocent; ipsam basilicam, sicut nos eas jam ibidem tradidimus, cum vilare cui nomen Piciniaco, quem Gundobaldus, quondam diaconus, tenuit; pariter et Hiliaco, quem de viro illustri Babisone percipimus; volo in Dei nomine, possidendas: illud etiam constituens ac decernens, quod quicquid in minutis rebus aut in quibuscumque modis datum est, vel in meis cartis noscuntur esse conscriptae, hoc totum et ad integrum, tu, sancta aeclesia, et venerabilis basilica domni Petri et Pauli, qui in hoc folio testamenti mei forsitan in oblivione michi obvenit, equa lance dividatis possidendum.

Villa vero Morenaco, quam meo opere et cum grandi labore adquisivi, et postea tunc [cum] ego absensui pro fidei mei conservatione, a Modeghiselo malo ordine fuit praeoccupata; et cum Deus reddidit justitiam domno Clothario regi, iterum ad dominationem sanctae aeclesiae vel meam pervenit: ipsam villam cum omni jure suo et terminum, te, sancta aeclesia, habere constituo.

Basilica vero sancti Petri et Pauli portionem deinde quod inibi possidere videor, cum colonica quae michi Leodoaldus per

donationis titulum contulit, cum id quod ibidem postea undique comparavi, in ipso fundo Methense et Voligione, cum omni integritate, portionibus ipsius vel terminis earum, et mancipia, mobilibus et immobilibus, tu, sancta basilica, perpetualiter valeas dominare.

Licet nulli habetur incognitum qualiter ego post transitum Guntranni, quondam regis, per quod sacramentum insolubile domno meo Clothario regi dedi, pro eo quod civitas Cenomannis, legitimo ordine, post transitum domni Gunthranni, ex hereditate genitoris sui, bonae recordationis suae Chilperici quondam regis, debuit pervenire; sed faciente cupiditate, et civitas ipsa ei fuit ablata, et de reliquo regno suo multum passus est dispendium. Sed dum me sacramentum meum in integrum constrinxit ut eum nullatenus dimittere deberem, facile et michi fuit et sedem, facultatem, tam sanctam aecclesiam quam et proprietatem relinquerem, quam perjurus — quod absit — invenirem. Sed dum pro amore ipsius principis, unanimiter cum ipso consisterem, anteriorem expoliationem suam vel posteriorem, quod injuste pertulit, necesse ipsi principi fuit ut nobis aliquid adderet, unde vitae substantiae et nos et pauperes nostri sustentare deberemus. Unde ille rex caelestis pro nobis retributor existat; nam nos pauperi haberemus a nec aurum, nec argentum, unde tibi, gloriosissime domne Clotharie, bona retribuamus: attamen, de id quod gloria vestra nobis contulit, praesumemus in hoc testamento nostro vestram celsitudinem memorare. Offerimus itaque regno vestro, de muneribus vestris, unde nos per praeceptum vigoris vestrae manus roboratum, licentiam tribuisti faciendi quod volebamus, id est: villas Neolone et Walionno, cum omni termino

et adjacentiis ad se pertinentibus, vel quicquid postea nobis fuit melioratum, hoc celsitudo vestra ad suam recipiat dominationem. Similiter donamus tibi, gloriosissima domna Berchetrudis regina, villam nomine Penpinas, quae appellatur Cella, quam nobis gloriosus dominus noster, jugalis vester, suo munere contulit: ut ipsam villam, cum domibus, mancipiis, vel terminum suum, post meum obitum, ad vestrum regimen, absque ullo impedimento recipiatis.

Dulcissimo nepote suo Sigechelmo, et pronepote meo Thoringo, si michi superstites fuerint, villam Seuva, cum villare Ripariola, equa lance dividant. Simili modo, villa Briomilia, quae ex successione parentum, nobis juste debita erat, et per interregna, longo tempore, nobis ablata fuit, et postea, cum Deus domno Clothario regnum suum in integrum dedit, ipsam villam nobis sua pietas reddidit, et per praeceptionem suam firmavit: quam villam dulcissimo pronepoti meo, filio Sigechelmi, Leutranni et Sichranni volo esse donatam. Similiter villam Castolione sitam in Santonico, qui parentibus meis et viro illustri Sigeleno fuit, et ipsam nobis gloriosus dominus Clotharius rex, per suum praeceptum concessit, quia jam longo tempore et michi et jam dicto parente meo Sigeleno ablata fuit, si me superstes fuerit, ipse Sigelenus, ad suam revocet dictionem: sin autem filiis suis, id est Sicheleco et Berthelaico, ipsam volo esse donatam. Villas Crisciago et Botilo, qui nobis ex successione genitoris nostri juste debentur, et cum germanis meis deberem partire, si ipsos mors non antecessisset: modo jubeo ut dulcissime nepos meus Sigecheme, una cum nepoti meo Thoringo, aequa lance ipsas villulas dividatis. Villam Bualone citam juxtam Pense, secus Aequalina, quam per donationis titulum, dulcissimo

pronepoti meo Leuthramno, die nuptiarum suarum dedi, sicut donatio ipsa continet, et per hoc testamentum meum, ipsam eis volo esse donatam. Locello qui appellatur Fontanido, quem inibi gloriosus domnus Clotharius rex suo munere concessit, ubi Eusebius quondam laicus vineas plantavit, et nos postea et mancipia posuimus : ipsum locellum, cum omni integritate, quod ibidem accipere videtur, tantum et ad integrum, sancta basilica domni Petri et Pauli ad suam revocet dominationem ; et medietatem de vineis pronepos meus Leuthramnus et conjux sua perpetualiter valeant possidere.

Basilice domni et peculiaris patrini mei Germani episcopi, qui me dulcissime enutrivit, et sua sancta oratione, acsi indignum, ad sacerdotii honorem perduxit, si supersistit ut in basilica domni Vincentii, ubi ejus sanctum corpusculum requiescit: dono inibi, in honore sepulturae suae, villam Bobane, quae est in territorio Stampense, super fluvio Calla, quem michi gloriosissimus domnus Clotharius rex suo munere contulit. Jubeo ea conditione : ut si sanctum corpus ejus in basilica nova, quem inclytus Chilpericus quondam rex construxit, si convenerit ut inibi transferatur, villam ipsam, ubi ejus sanctum corpus fuerit, semper ibidem deserviat ; et ipse sanctus pontifex pro meis facinoribus deprecare dignetur. Rogo, abba lustris loci illius, ut nomen meum in libro vitae recitetur.

Villare meum quae est in Cramteno territorio ad summa Vedantia, sicut a me praesenti tempore possidetur, et ex successione domni et genitoris mei legitime reddebatur: basilica domni

Petri et Pauli, post obitum meum, pro mercede animae meae, volo esse donatum. Dulcissimo pronepote meo Thoringo, dono ei colonica, cui vocabulum est Villanova, quem de filio Papoleno quondam dato pretio comparavi ; in perpetuo teneat atque possideat. Villa Idguino dulcissimo nepote meo Segechelmo, dum advivit, volo esse donatum. Post obitum vero illius, filii sui, qui ex Bertichildi filia Leutramni nati esse noscuntur, absque consortium fratrum suorum, si alios filios habuerit, ipsos precipio possidendum.

Viniola seu prata quae sunt ad Ruillione, et adjungunt ad vineas sanctae aecclesiae, vel infra terminum Calimarcense, quas dalo pretio comparavi : sanctae aecclesiae volo esse donata. Idemque et colonica Satovera, quern Vulfarius quondam tenuit, et postea Aiga eam nobis cum ipsas venditiones, quas ab ipso Vulfario acceperat, dedit : et ipso locello cum vineis et cum omni jure suo, tu, sancta aecclesia, heres mea, percipias. Et locello qui dicitur Condomas, quern pro re mea accepi, et postea fidelissime Cottane per donationis titulum concedi, volo ut ipsa locello, jam dicta Cotta vel filii sui in perpetuo valeant in integrum possidere.

Domum vero intra muros civitatis Parisiorum, qui ab Eusebio quondam fuit aedificata vel possessa, et michi a precelso domno Clothario regi concessa esse denoscitur : inter sancta aecclesia Cenomannica et sancta basilica heredes mea, aequaliter possidendum decerno ; sic quoque ut de tabernias, quae infra ipsam domum esse noscuntur, locarius ille, qui annis singulis exinde speratur, lumen in sacrosancta aecclesia Cenomannica et praedicta basilica domni Petri et Pauli inferatur ; et arias, quae foris civitatis sunt, idemque communiter possideant. Id constituimus observandum, ut quicquid die obitus mei, in domo superius nominata Parisius, aut in unum aut in quibuslibet rebus, quae nostrae propriae esse noscuntur, aequaliter heredes meas, sancta

aeclesia Cenomannica et basilica domni Petri et Pauli, inter se dividant.

Pene michi in oblivine fuit positum, sed divina inspirante gratia, memoravi viniolas secus Arenas, juxta quod ipsas maxima de deserto recuperavi vel adunavi, de ipsa Arena usque ad strada, quod clausure ipsa circumcingit, quod ipsa sancta basilica domni Petri et Pauli praesenti tempore possidere videtur ; idemque vineolas, pradela vel terraturium, quod in dextera parte de strada est qui vadit ad Pontileugua, quem de venerabili fratre meo Eoladi abbati comparavi, quae in ipsius basilicae oppidum esse nositur, cum Brugilo quem de fratre meo Leusio abbate, datos quadraginta solidos, redemi, et campellos quos cum ipso abbate commutavimus, quae ad alveum Sartae, cum prato qui est ad confluentis : totum et ad integrum, cum servientibus, quos inibi posui, ut adhuc Xpisto propitio, ponere potuero, et modo ad ipsa sancta basilica in Dei nomine possidetur : in perpetuo dominetur.

Simili modo medietatem de colonica Vatinolonno, quem de Berone, in nomine ipsius sanctae basilicae, comparavi, et aliam medietatem, quem illustris matrona Egydia, ad ipsum sanctum locum per donationis titulum contulit: jubeo ut in integrum, sicut a modo ab ipsa basilica, Xpisto praesuli, possidetur, et in perpetuo inibi perseveret.

Et quia nulli habetur incognitum, qualiter Bertheghisilus inlicito ordine, contra discreta canonum, in sede sua fuit adgressus, et nimium res sanctae Mariae vel meas proprias generavit

pro his gravissimum dispendium ; unde sciam non ut debuit restauravit, nisi parvitate, pro res proprias meas, quas malo ordine dixtraxerat, locella cum carta venditionis dedit, hoc est cum domibus, cum Bariaco et Stivale, portionem suam in integrum nobis vendidit. Et postea, cum alia vice gloriosus dominus Clotharius de regno suo, in insidiis pertulit, et iterum ego pauper ipsum valde in captivitate fui, et in ipso nec nominandus Berthegisilus iterum vastatur aecclesiae accessit, et carta ipsa quam prius fecerat, in archivo aecclesiae invenit, eam igni comburi precepit, sic illi judex metuendus atque terribilis, pro rebus suis, cum eo ponit judicium. Et postquam Dominus noster cum voluntate Dei, una cum praecelso consubrino suo, Thudoberto regi, caritatem inivit, et voluntarie quantitatem de regno suo recepit, et nos locella illa obsistente ad dominationem nostrae revocavimus ; Campariaco vero, Aestivale, cum domibus, mancipiis, vineis et silvis, pratis, aquis, aquarumve deattibus, et jure earum, vel omnem peculium : sanctae basilicae domni Petri et Pauli delego.

Perfeci scilicet domum, quae infra muros, in dextra parte de posteriola, meo opere aedificavi, ubi oratoribus in honore sancti Michaelis archangeli constructus est : volui ut ipsas domus et basilica sancti Petri et Pauli esse debuisset.

Dum nos cum domno Clothario regi pro fide nostra et amore illius dicenti fuimus, pistrinus aecclisiae ante ipsa domo constructa est ; propterea in his locis, aecclisiae stipendia et madricula quam ego inibi erexi : supplex quaeso domino meo pontifici qui michi successor fuerit, ut omni tempore madricula ipsa, sicut usque nunc meis temporibus stipendia promeruit, et semper in antea ministrante sancta aecclisia alatur ; et domus ipsa sit ad receptionem pontificum, vel religiosos, qui ad ipsum oratorium deserviunt ; quia et virtutes ibi ostensa sunt, et honorare in omnibus vel venerare debetur.

Precamur domino et pontifici successori nostro, et per Deum Trinitatis conjuramus, ut de villas quas ego sanctae aecclisiae, per hunc folium testamenti delegavi, vel qui meo tempore conquesite sunt, vel in dominationem sanctae aecclisiae pervenerunt : omnibus vel in omnibus, decimas annone, vini, casei, lardi, omnes decimas in domo ipsa sancti Michaelis Archangeli, annis singulis congregentur, sicut nostro tempore actum fuit ; et pauperibus vel peregrinis, in eorum alimonia ministretur ; quia nec sancta ecclesia dispendium perferret, et quod nos, etsi indigni, qui qualemcumque loca sacerdotii visi fuimus nuncupari, ea quae Domino annuente, in pauperibus studuimus ministrare, a vobis indesinenter conservetur. Basilicae vero sancti Petri et Pauli curtem illam, cum casas quas bone memoriae Romolos, quondam presbyter, Cenomannis in civitatem tenuit, et domum illam, quae nostris temporibus, supra muros aedificavi, et nos ei manum ad hoc porreximus, et postea de nepte sua comparavimus : domus ipsas, sicut a praesenti tempore, in Dei nomine, ab ipsa sancta basilica possidentur, cum id quicquid inibi laboratum fuerit, aut ante que meis temporibus subjectum : totum et ad

integrum praefata aecclesia, absque ullius impedimento, perpetualiter valeat possidere.

Sanctae aecclesiae herede mea dono villa cui vocabulum est Grandefontana quae, dato praecio, de Waddoleno, compatri meo, filio Bavone, comparavi, cum omni jure vel terminum suum. Te vero, sancta basilica domni Petri et Pauli, dono villa Conadaco, quem de Belletrudi sive Bettane, matrona, relicta quondam Maurini, dato precio, comparavi, cum Colicas villas quas postea, dato precio, de Betholeno vel Mantharigo, cum silvas vel omni adjacentia ad se pertinentes, cum domibus et mancipiis, sicut jam in tua dictione tradidi, cum mobilibus et immobilibus : in integrum volo esse donatum, cum agellum ilium nomine Utimiago, quem filio et parente meo Berulfo ad usufructuario praestemus, et post meum obitum, ad tuam revoces potestatem.

Dulcissimo nepole me Sigechelmo, licet jam per donationis titulum, villam Murocincto inte actis temporibus contuli, quem ex successione domni et genitoris mei legitime reddebatur, et postea, meis peccatis facientibus, germanus meus Berthulfus in expeditionem domni Clotharii regis interemptus fuit, et portio sua michi legitime obvenit, volui in hunc testamentum meum comprehendere ; ut tam quod prius ei dedi, quam et quod postea michi de germano meo obvenit, totum et ad integrum ipse nepos meus, villa ipsa cum domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, sicut hoc jam possidere videtur, et ipsi et sobolis sui perpetualiter dominentur. Tercia vero portione de ipsa villa Murocincto, quem bone memoriae germanus meus Ermenulfus tenuit, et ipsam michi dedit : dulcissimo pronepote meo, filio ipsius Sigechelmi, nomine Leodefredo, post obitum meum volo esse donatam ; excepto illius emisit aut ego de captivitate redemi : ipsi liberi perseverent.

Casa vero qua esse infra muros civitatis Cenomannis, quem dominus et frater meus Chaimoaldus, episcopus, dum archidiaconati videtur officium fungere, aedificavit, cum casella quem Malaricus, diaconus, tenuit : hoc dulcissimo nepoti meo Sigechelmo, cui eas dedi, volo ut et ipsi et filii sui in perpetuo dominantur ; quia ubi casa nova est, areas illas comparatas esse noscuntur.

Villam vero Patriliaco, quae est secus ponto Chiuggane, quem de Doleno quondam comparavi, et venditionem in nomine sanctorum Petri et Pauli vel basilicae eorum, quam jam tunc tempore aedificare videbamus, et postea ad ipsa sancta basilica delegavi : volo ut eam in perpetuo possideat, cum colonicas ad se pertinentes.

Villam Monciaco cum colonica quae condite vel undique id ipso Gondacense aut Monciadense comparavi et adjunxi : te, sancta aecclesia, heres mea, ad integrum volo esse donatum. Vineas vero quas michi sanctae memoriae dominus Licinius

episcopus, pro amoris ad efectum, secus vineas Cariliacensis suo munere dedit, et nos antea de Sargite quondam necutiante Parte divina cum terra comparavimus, et postea inibi vineas posuimus, et in una clausura cum vineas sanctae aecclesiae adjunximus : volumus, ut pro mercede animae nostrae, hoc

aeclesia sancta Caenomannica possideat ; licet antea ipse ager parum habebat vineolas, nec domini mei antecessores episcopi aliquid ibi voluerunt addere, sed non pro amore sanctae aeclesiae vel agmentum ipsius, tam de negotiantibus, quam de reliquis, maxime spaciavimus, et pretium dedimus ; ut in jure et dominationem sanctae aeclesiae proficiant optamus.

Idemque et vineolas quae sunt in Sabonarensae quae meo opere undique subjunxi, aut per domnum, aut per vinditionem, et si adhuc subjungere potuero, cum cultoribus eorum et familias vel domum, quae ibi stabilivi : te, sancta aeclesia domni Petri et Pauli, habere jubeo.

De Ponteleuga, haec est de matricula et sinodotii in honorem sancti Martini — haec est matricula sancti Petri et Pauli, quod est ad Pontumleugua. — Si per singula perpensamus quantum facinora nostra, in saeculum dum detenti fuimus, commissa esse noscuntur, non est tantum facultas redimendi, quantum sunt culpa commissae ; sed omnipotens Deus, qui nullum perire vult, ipsa parva manuscula quae grandis lacrimas vel memoris animae, Redemptori nostro offerre videmur in pauperis, ipse nobis pro larga pietatis tuae gratia, qualemcumque tribuat veniam. Ergo, quia votus et liberatio et deliberalio mea est, ut basilica quae in honore beatissimi ac peculiaris patrini nostri Martini sancti episcopi, ad Ponteleugua, ubi et requies sua sancta, Deo propitio, posui : delego atque ipsum sanctum

locum, locella his nominibus : Logiagas, Noginto, Nova Villa, Antoniaci, et de Monasteriolo, partem illam quem de Leodelene, dato pretio, comparavi, et Avanto: quodcumque inibi comparavi, aut unde michi obvenit, cum mancipiis, mobilibus et immobilibus, et omni jure earum, vel quantumcumque adhuc ad ipsa loca subjungere aut comparare potuero, habere jubeo ac decerno sub abbate vel basilicae sancti Petri et Pauli potestate consistat. Licet praesumptione, ut dicamus, ex sinodotii locus sit, dum parvam ibi intulimus, tamen potens est Deus et ipse sanctus athleta Xpristi, inibi plurima conferre, unde pauperes et alimonia vestiantur, et cuncti amici nostri et peregrini receptacula pro nostra memoria habere videantur. Ad presens jubemus, ut sedicem animolas Deo devotas, hoc est viros pauperes, caecos aut debiles, qui in ipso loco collocentur, et diebus singulis, eis victus, facta ratione, sufficienter ministretur.

Et quod superius meminimus, de tributum Taletense et suffragium Crisciense vel Cambariense, sicut superius jam precepimus, tamen vestimentis quam et in lectariis aut in calciamentis, et istis fratribus nostris et matricolabus sancti Petri, qui sub regimine suo esse noscuntur : tu, abbas basilicae sancti Petri et Pauli, omnimodis potissimum tibi cura sit, hoc eis in omnibus adimplere. Quod si in aliquo, quod absit, ex hoc negligens apparueris, ante tribunal Xpristi, cum sancto Petro et Paulo apostolos, et sancto Martine antistitem, habeas rationem. Et nullus ex pontificibus successoribus nostris, de id quod ad praedictum locum vel pauperibus est delegatum, auferre praesumat ; sed ad

festivitatem ipsam, et pontifex et omnis clerus prandium dignum percipiant. Et si de predicta locella quicumque aliquid retraxerit, tanquam necatur pauperum, ante conspectu divino iudicetur. Tu vero, venerabilis abba, vel successores tui, talem curam habeatis de cursum sanctae aecclesiae domni Martini, qualem et de sanctorum Petri et Pauli ; et lumen per noctis, de tributum villarum ipsarum sufficienter comparetur ; et quod superest, ad ipsos pauperes vel inopes ipsius basilicae proficiat.

Villa vero Blacciago sita in terraturio Burdigalense secus castro Blaivit quae est super alveum Garonne, licet a parentibus meis longo tempore fuit possessa, et per interregna vel adolescentia genitricis meae fuit de jure suo ablata, et ab Aunulfo, filio Maurilionis, qui eas occupaverat per testamenti sui paginas, dum illiti esset ad sanctas aecclesias, hoc est : Burdigalense et Toronicae et Equiles omnes in duas partes, ex ipsa villa sunt delegatas ; testicharnulfus gennanus ipsius Aunulfo possedebant, unde altercatione habuimus inter nos et ipsos de praedicta villa ; sed illi recognoscens quod nobis legitime debebatur, coram ipsis pontificibus, qui duas partes ex hoc possidere videbantur, nobis, de presente, tertia ex omnibus de villa ipsa reddidit, et epistola exinde manu sua roborata, vel a predictis sacerdotibus firmata, nobis tradidit possidendam. Sed dum nos ita

constringit amor divinus, ut contra sancta aecclesia non ambulemus, forsitan si possumus, cum gratia domnorum meorum et fratrum, rem ipsam redimere, sed quia dominus Agericus, episcopus, portionem illam quae sancti Martini fuit, nobis vendidit, et venditionem cum canonicis suis nobis fecit, et solus secundum arbitra sui valebat, de presenti dedimus, et ipsa altercatio nostra subjunximus : volumus ut tu, sancta heres mea aecclesia Caenomannica, possideas ; et si adhuc in rem ipsam de domus pontificis, ut Burdigalense aut Equilemense redimere possumus : totum et ad integrum ad tuam revoces potestatem.

Colonica vero Vincentiane quae domna et genitrix mea possedit, et nos eam modo in Dei nomine possidere videamus, quae secus ipsum agrum Blacciaci esse videtur: basilicae sancti Petri et Pauli, cum mancipiis, vineis et terris, volo esse donatum.

Villa Floriaco, sita inter duo maria, qui parentum meorum fuit, et postea genitrix mea per orphanitatem perdidit, et ab Childegerno, malo ordine fuit possessa, quam villa medietatem, cum mancipiis, domibus, vineis, silvis, omnique termine suo vel adjacentibus sibi, a Berthranno sive Bettone, filium ipsius Childegerni, dato praetio, redemi : volo ut ipsa villa qui parentum meorum fuit, basilica sancti Petri et Pauli in perpetuo dominetur.

Domum vero infra muros civitatis Burdigalense, quam ego et germanus meus Ermenulfus nostro opere recuperavimus, ipsam domum cimencitia cum adpenditia sua, aditione dulcissimo nepoti nostro Sigechelmo jubemus pervenire, ut ipsa habeat et possideat, et suis posteris ad possidendum relinquat. Et hoc jubemus, ut omni tempore vitae illorum, quomodo missi dominis

et venerabilibus sanctae aeccliesiae Cenomannico vel basilicae sancti Petri et Pauli, pro piscibus negotiandum ibidem venirent : semper in domo illa receptaculum habeant, et inibi quae eis necesse fuerit, comparent.

Locum vero qui appellatur Braesetum in territorium Burdigalense, ubi peccarias habere videmur, et dato pretio cum Arennoaldo quondam comparavimus : ipsam rem cum praecariis inibi manentibus et familias eorum vel pinita, sicut a me presente tempore possidetur, et post meum obitum, tu, sancta ac venerabilis basilica domni Petri et Pauli, ad tuam revoces ditionem, ut exinde annis singulis pix recipiatur.

Omnibus notum est qualiter bis aut tercio, in rebus sanctae aeccliesiae vel proprias, sustinui spoliationem ; Deus scit quod non pro culpis nostris hoc passus sum, sed pro haec quod fidem volui inlibata custodire ; et sancta aeccliesia in presidiiis, illo tempore, grave pertulit dispendium ; et ego pauper substantiola mea propria valde egemus evasi. Iccirco erubesco scribere quod parum resedit ad offerre. Dono argentum ilium quem nobis postea Deus vel domnus rex aut amici contulerunt, sicut brevis manus mea conscripta concinit, quia pertractavi, ut duas partes de ipso argento quod ego visus sum laborasse : tu, sacrosancta aeccliesia percipias. Alia vero portione, quem in ipso breve conscripsi, tu, basilica sancti Petri et Pauli, quem herede meae, sicut, te, sancta aeccliesia, institui, habere jubeo. Adjuro per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tam tibi domni pontifex qui successurus eris, quam et te abba qui eo tempore fueris, quando me Deus de hoc saeculo migrare praeceperit, vel successoribus vestris : ut nullus non praesumat de ista paruta munuscula, quae ego, sancta aeccliesia, vel sanctae basilicae, pro commemoratione

nominis mei, de his speciebus nichil abstrahere vel venundare, sed omni tempore tam pro ornatu sanctae aeccliesiae vel basilicae, mense earum, perpetualiter debeat perdurare. De reliquo vero argentulo, quocumque post diem obitus mei in registuriolo meo inventum fuerit, et hoc non delegavi, exceptum argentum sanctae aeccliesiae salvo, jubeo, quod praesens habere videor, vel adhuc laborare potuero, quod delegatum non fuerit : totum inter sanctam aeccliesiam ac sanctam basilicam domni Petri et Pauli, aequaliter dividant ; et abbas portionem illam quam accepit, si necesse fuerit sepulturae meae aliquid exornari, et si ego hoc antea non fecero, de hoc ipsum quod e contra pontifice perceperit, ad ipsa sepultura mea dignetur, exinde studeat componere ; et si nos ea Xpistus permitteret ea luce de rare, argentus ille in ministerio, quo necesse fuerit basilicae faciendum, intromittatur.

Simile modo jubeo quod de vestimenta clamea, tu, dulcissimi archidiaconi, qui eo tempore fueris, domno vero et pontifice successore meo, pariculos duos optimos, de proprio vestimenti clamea, reverenter offerre jubeo. Tibi vero sancti archidiaconi praecipio, ut unum caballum bonum et unum pareculum, de proprietate mea praesumas. Omnia vero quae de proprietate, seu ex militia, in registuriolo meo, post meum obitum inventa fuerint, secum species aut vestimenta quod ego laboravi vel adquisivi, excepto quod sancta aeccliesia proprium

est : tres exinde jubeo fieri portionis : una domnus et successor meus pontifex accipiat ; alia vero basilica domni Petri et Pauli ; tertia vero de praesente pauperibus jubeo erogare. Similiter tibi praecipio, archidiaconi, et coram Deo contesto, ut de eos fructus quos eo anno relinquero, cum diem extremum exclusero, per manu tua, tertia parte pauperibus absque fraude erogetur.

Similiter volo ac jubeo ut omnibus servientibus sanctae aecclesiae, qui ministeriales esse noscuntur, vel meis, tam clericis quam secularibus, qui mecum conservare videntur : singulos caballos, tam ingenui quam liberi vel servientes, de praesenti percipiant; reliquos vero caballos, tam warannonis, quam spadas seu poledros, qui inventi fuerint, et characterio sanctae aecclesiae habuerunt : totus pontifex vel aecclesia recipiant. Ille vero qui meum characterio peculiarem habuerint, aut quos michi parentes vel amici dederunt : medietatem sanctae aecclesiae ex ipso accipiat ; aliam medietatem basilica vel abbas qui inibi esse videtur, recollegat. Illud huic testamento adnecti volui : ut de gregis equinis, quos mea parvitas undique adtraxit vel agmentavit, excepto jumenta antiqua, et de duas portiones ex ipsis gregis, quae meas proprias esse videntur, et super terra sanctae aecclesiae pascua habentur diximus, fiant: una percipiat sancta aecclesia, et alia percipiat basilica sancti Petri et Pauli. Gregem illum, quem portinas equitiaras super rem sanctae basilicae domni Victorii episcopi intendere videtur, ad ipsa sancta basilica volo esse donatum. Jumente da illo qui fuerunt peculiaris

Gallimere, pro fidele mea Elopodiacum volo esse donatus.

Villa Mareiliaco seta secus Diablentas vico, quem, dato pretio, a Medighiselo et Ebretradi comparavi, aut undique adjunxi, aut adhuc adjungere potuero, cum domibus et mancipiis et adjacentia sua, pratis, pascuis, aquis, aquarumve deductibus : dulcissimo pronepoti meo Leodochranno dono atque transfundo perpetua dominatione.

Similiter villa secus Pocileno vico, quem genitor Blado Victriberno Bessorum, nobis pro soledus nostros unde det; ipsam rem cum omni adjacentia sua, tibi dulcissimi pronepus meus Sigramni, habere jubeo. Similiter villam Pauliacum, quem ego dato solidos tregentos auro, venerabile Bobeno abbate, de basilica domni Albini comparavi : ipsa dulcissimo pronepoti meo Leodochranno habere jubeo, ut ipsa in perpetuo possideat. Sic quoque, si aliquid aut basilica domni Albini, aut abbas qui successor ipsius Bobeno fuerit, exinde adtemptaverit, solidos ipsos, cum duplatis facionem jam dicto Leodochranno reddat ; et villa ipsa, si voluerit contra definitione antecessores sui agere, nee sic valeat vindicare ; et sic ab ipso pronepoti meo in perpetuo vindicetur.

Vilam quam secus vico Berulfo esse dinoscetur, et in ipsa villa Beralfus, qui quondam amisit, quicquid inibi comparavi, tam de filio Elnulfi, quam de Remoaldo vel conjuge sua : totum

et ad integrum inter dulcissimos pronepotis meis Leutfredo et Thoringo, si michi superstites fuerint, equalentia inter se dividendum, volo esse donatum ; sic quoque ut post meum obitum, si quis suprestitis fuerit, post obitum, ad suam in integrum revocet potestatem.

Basilicae sancti ac beatissimi sancti Germani Parisiaci antistites, qui michi dulciter enutrivit, et ad sacerdotali onus, ut non merui, a per sua intercessione perveni: ad ipsa basilica in ipsius honorem obedum civitates Caenomannicae aedificavi, et casas inibi aedificavi, et moniculos institui, qui inibi, Xpisto propitio, in perpetuis temporibus officium et servitium procurent : dono ad ipsa basilica, in honore ipsius pontificis, villas his nominibus : Charisago cum vineis quae Silviago vico sunt, et reicola quae appellatur Stirpiaco, cum vineolas et mancipiola qui inibi esse noscuntur : Landolenas, Graciaco et Manciacio, quas dato pretio undique comparavi, et ad meam pervenit ditionem [tam] quod praesenti tempore videor, quam quod adhuc meliorare potuero : ad ipsa sancta basilica in honore beatissimi domni Germani volo esse donatas ; et vineas illas quae ad Ruilione sunt, quod Aunigselos dicans tenuit, vel adhuc postea undique comparavi, cum prate medietate ad ipsum Ruivilionem ; ad ipsa sancta basilica praecipio possidendum.

Villa vero de Comanico, quae ego de filio et parenti meo

Ebroaldo comparavi et postea, et domos et vineas inibi aedificavi, cum id quod inveni, cum omni jure et adjacencia sua : te, Basilica sancti Petri et Pauli, quam in honore vestro aedificavi, et in medietate herede constitui, in omnibus habere decerno.

Reicola quae appellatur Fontanas, infra terminum Alaunense, quam michi vir magnificos Baudhegiselus et Saucia conjux sua condederunt, et donationes fecerunt, et nos multum eis in quo potuimus solacia prebuimus : ipsam rem, post obitum nostrum, sancta aecclesia ac venerabilis basilica domni Petri et Pauli, ad tuam revocas ditionem, sicut ad ipso Baudeghiselo possessum fuit ; sic quoque, ut in omnia illarum in libro te in ipsa basilica recitetur.

Villa Redonatiogo, quae ad Bonalfa semper aspexit, et nos postea inibi tam terras quam silvas, quas, dato pretio, de Chargario et Ragnarico comparavimus vel undique : totum et ad integrum sicut semper ipsi vilaris Donatiacos ad Bonalcha aspexit, et inibi aspiciere debeat, ut sancta aecclesia herede meae in perpetuo proficiat.

Licet quicquid a nobis fuerat laboratum, tam in agris quam mobilibus et immobilibus : volemus totum jam, sicut anterior testamentus noster habuit, in uno testamentum totum et ad integrum delegavi. Sed quia postea, postquam Deus glorioso domno nostro Chlothario rege totum regnum Francorum in suaditione advenire praecepit, et postea nobis sua larga pietas pro servitia nostra in aliquo respexit, nec ipsum nobis oportet praeterire. Ergo villas illas quas bone recordationis Avitus, filius Felici, quondam episcopus, qui parentem nostram et proxima in conjugium

habuit sociata ; et omnes res Aviti inter me et vir illuster Gundolando majores domos suas pietas concessit, et ego contra ipsum, modo ad praesens habere videor: omnem portionem meam, tam quod in Biturivo est, quam in Albiense, Cadurcino et Agennense, totum et ad integrum, quicquid medietas ex agro ipso ad meam pertinet rationem, pro mea vel in quantitate relaxandi peccata, basilica sancti Petri et Pauli, quem heredem constitui, post obitum meum in integritate, villas ipsas percipias ; et Nogiogilo villam, quam et ego et vir inlister Gundolandus filiae meae et parente Dundane, usufructu concessimus : post ipsius obitum, vos, sacrosancta aecclesia et basilica, communiter, medietate, sicut precaturiam jam dictae matronae convenit, ad vestram revocetis potestatem, idipsum aequaliter dividendum.

Villa vero Vocriomno, quam michi gloriosus domnus Chlotharius rex suo munere, pro rebus nostris, quas Egulfus et Arnoaldus, malo ordine et tenuerunt et vastaverunt, licet plus jam nobis exinde pius rex dederat; sed per injunctionem suam hoc aecclesiae Mistice in honorem domni Stephani relaxavi, et villam istam, cum domno et fratri meo Arnulfo episcopo petivi, ut illas villas quae fuerunt Egulfo et Arnoaldo ipso receperit ; nos villa Vocriomno in perpetuo tenere deberemus, et quod exinde facere volebamus, liberum arbitrium haberemus : iccirco ipsa villa tam per mercedem domni regis, quam et pro nostra, quia viniolas parum habet basilica sancti Petri et Pauli, hic in loco isto, ideo ipsa villa, cum omni jure suo et adjacentias ad se pertinentes, totum et ad integrum, te, sancta basilica domni Petri et Pauli, ubi corpusculum meum desidero sepelire, in perpetuo volo esse donatum.

Villa vero Nociogilos, quae est in terraturio Pectavo super

alveum Ligeris, quem inibi Beato nepus quondam Babone, filius Theudaldo, de maternum suum, per donationis titulum concedet : te, sacrosancta basilica domni Petri et Pauli, post obitum meum habere jubeo.

De Marogilo, villas Rufiniaco et Marigilo, quid de actione Nunciane ad me pervenerunt pro res sanctae aecclesiae quod multum devastavit, et nobis gloriosus domnus Clotharius rex, post obitum ipsius Nonciane concessit : te, sacrosancta aecclesia heres mea, habere jubeo. Locello qui appellatur Lucianus, quicquid inibi debet Hisigilo, reicola illa quae est super Ledo fluvium, nomine Bauciallo, quem ego de Besthigeselo de Vindocinise et conjuge vel filiastros suos comparavi : basilicae sancti Victuri Cenomannice civitate, cum mancipiis et omni re quod inibi melioratum est, volo esse donatum.

Villa nomine Tauriaco, portionem illam quem Nuntia inibi tenuit, et nos modo pro praeceptionem domni nostri, sicut Marogilo et Rufiniaco tenemus, et ipsa villa Tauriaco, tam portione illa Nunciane qui fuit, et modo ad nostra traditione pervenit, quam et portionem illam, quam Audericum et nepote sui, filius germane suo et germanae suae nobis venderunt, et ipsum insimul conjunximus : te, sacrosancta aecclesia heres mea, habere jubeo.

Locello quae appellatur Luciacus, quicquid inibi de Berthigisilo, vel conjuge sua et filiis eorum comparavi, et ad praesens possidere videor, cum quicquid inibi adjunxi, aut adhuc adjungere potuero : basilicae sancti Petri et Pauli herede me delego possidendum.

Villas vero sitas in terraturio Dunense, hoc est villa Pannonio, quem de Johanni abbate, dato pretio, hoc est solidis

centum quadraginta comparavi ; et villam Macirias, quam de Bethone, filio Baddone quondam, similiter visus sum comparasse : ipsas reicolas, tu, dulcissimus nepos meus Sigechelmi, post meum obitum recipias ; sic quoque ut post tuum obaedum filium inter se equalentia dividant.

Reicolas illas, quas sanctae aecclesiae Suadria, soror Theoderi, quondam episcopi, per suum testamentum dedit, hoc est Luciniaco et Monte, et postea meo opere ipsas vindicavi : tu, sacrosancta aecclesia heres mea, ad tuam revoces potestatem.

Villa quam de Didone, nepoti Romano, super Ligere comparavi, hoc est dato solidos centum : ipsam rem, quicquid inibi ad praesens habere videar, cum domibus, vineis, terris, mancipiis et omni portione illa, te, sacrosancta aecclesia heres mea, habere jubeo.

Similiter villa Brea, quam michi Theudoaldus vendidit : et ipsam ad tuam revoces dicionem, cum vineis, mancipiis et omni jure suo.

Kairaco villa vero, quam de Eomerio diacono, datos solidos CCC comparavi, et nunc in dicione mea in Dei nomine esse dinoscetur : te, sancta basilica domni Petri et Pauli, quae heredem cum aecclesia nuncupavi, habere decerno, cum dornibus, mancipiis, vineis, pratis, silvis cum omni jure suo ; et si adhuc inibi aliquid meliorare potuero, totum et ad integrum ad tuam revoces potestatem.

Villa Sitriaco, quem dato pretio de Leugadie comparavi, cum alio locello qui nuncupatur Blaciacos, cum adjacentibus ad se pertinentibus, domibus, mancipiis, vineis, terris, pratis, silvis, vel omni jure earum : te, sacrosancta aecclesia Cenomannica, heredem meum, habere praecipio.

Villa Cresciaco et Vallis, sicut per epistolas inter me et domno

Arnulfo, episcopo Metensis aecclisiae, convenit : in honore domni Stephani, aecclisiae suae, sicut jam per epistolam nostram prius decrevi, post meum obitum, ipsa sancta aecclisia in honore sancti Stephani, ad suam revocet ditionem ; et nomen meum in libro vitae, inibi qui tune tempore pontifex fuerit, [scribi] jubeat.

Tres partes colonica, quem de ratione Arnoaldo habuimus : ipsam basilicam domni Petri et peculiaris patroni nostri Medardi episcopi, post meum obitum, habere jubeo.

Villa Montiniaco, quam Giboaldus, quondam episcopus, tenuit, et postea ad nostram ditionem venit : ipsa cum omni jure suo sancta aecclisia sui esse nec delego atque decerno.

Villas vero sitas in Burgundia, quas nobis gloriosus dominus noster Clotharius rex, et viris Inbradone et Marnehario majoris domus dedit, qui fuerunt Leudegyselo quondam : terciam portionem, quam michi ex ipsas villas, legitimo ordine, cum ipsis viris illustribus debetur : vos, sacrosancta aecclisia Cenomannicae et basilica sancti Petri et Pauli, heredes meas, equalentia cum ipsis habere volo.

Et villas in Provenca, quas ipse pius rex, inter me et viros illustris Gondolaido et Chugo, de ratione Aureliane dedit, quantum exinde per justitiam vindicare possemus, absque peccatum nostrum, id est, de ipsas villas portionem meam : vos heredes meas, cum ipsis illustris viris, ad vestram revocetis potestatem.

Villa vero quae de ratione Nuntiane, tarn in Pectavo, quam et in Erbaticola, quam et illas alias villas, quas cum Ghisone compatri meo, in Cadurcino, Limodicino, aut ubicumque in gutia

portio Nuntiane nobis exinde legitime reddebantur : te, dulcissime compater meus Ghiso, pro amoris affectum et comparatum, una cum nepoti vestro et nostro Thoringo, aequaliter dividendum habere praecipio.

Villas vero, quas, dato pretio, de Dracoaldo episcopo comparavi, et in civem ipsam, ubi praedictus pontifex fuit occias, esse noscuntur : tibi, dulcissime nepos meus Sigechelmi, una cum filiis suis, praecipio possidendum.

Fidelissimus meus Warnehario et Walcone filio Tedemoni quondam, qui michi fideliter ab adolescentia eorum, vel sanctae aecclesiae, cum integra fide, quod omnibus incognitum non est, desservisse noscuntur : quicquid eis, in terris, mancipiis, vineis, dedi, ut ipso meo tempore visi sunt adquisisse : totum et ad integrum eis volo esse concessum ; et filii et filiae eorum, quamdiu vixerint, possideant, et nullus ex eis exinde nichil auferre jubeo ac decerno.

Quicquid fideli nostro Cherulfo quondam dedimus, in filiis suis hoc ad integrum confirmamus. Fidelissimo amico meo Chadeleno, quicquid ei hic in Cenomannico dedi : volo et hoc in perpetuo et ille et filii sui possideant ; quia omnibus notum est quod fideliter in ministeriis sanctae aecclesiae et jugiter

deserviunt; et tempore vitae suae facere disponit, et justum est ut quicquid ei de jure aecclesiae, vel quae meo labore ad aecclesiae pervenit, semper in eo perpetualiter perduret.

Fideli meo Betholeno, filio Cundeleno quondam, quicquid genitore suo dederit, vel quod postea ipso Betholeno ex nostra largitate est concessum : ipso Betholeno et conjugae suae, vel filiis eorum, in perpetuo volo esse donatum ; sic quoque, ut genitrix sua, quotquot et inde habet, dum advixerit, usufructuario possideat ; post obitum ipsius, jam dictus Betholenus et filii sui in integrum percipiunt, et semper amici aecclesiae persistent.

Illud itaque rogo atque jubeo, ut quancumque amici mei vel fideles servientes fuerint, semper eis memor sit nutritura mea, vel benefactum meum, quod circa illos impendidi, ut et ipsis, post obitum meum, cura sit ut, cum dies commemorationis meae evenerit, semper inibi adesse debeant, et abbate loci illius solacium praebeant, et dicantur : Felix est homo ille, qui amicos bonos relinquit.

Praecipio tibi, dulcissime nepos meus Sigechelmi, et filiis tuis rogo et adjuro per Deum omnipotentem, ut quamdiu vos Deus in saeculo suprestitisse voluerit, una cum conjuges vestras vel sobolis vestris, si sanitas permiserit, semper annis singulis, bis aut ter, sepulturo la mea visitetis, et pauperes, in quo potueritis, reficiatis ; et hoc adjuro abbate loci illius, ut aliter vos reficiat, et filios vestros honoret, qualiter cognoscit me sancta aecclesia fuisse consolatorem ; ut vobis et filiis vestris delectet frequens visitare locum ipsum sanctum, vel meam commemorare memoriam.

Adjuro et rogo domno meo Cabimoaldo episcopo, quia consanguineus

meus esse dinoscetur, et eum divina pietas ad sacerdotale culmen perduxit : semper illi memor sit nutritura mea, vel patrociniis sancti Petri, unde ad ipsum bonus, Xpisto praesule, ambulavit ; ut edomea sepulturae, quandoque me Deus ab hac luce migrare jusserit, suis manibus cum reliquis domnis et fratribus suis, corpusculo meo dignanter sepeliant, ut et de Domini mercedem conquirant, et in populo laus percurrat. Hoc jubeo tune archidiacono, ut ipsius domnus qui peccatorem sepelire dignaverint, donent eis caballis padi duo, et poledros congregans duos, et singulos parioculos ipsi domni accipiant. Et tu hoc, domne Chaimalde, cum archidiácono dignanter facias, et tibi simili modo, sicut tui fratres accipiant, ut accipias jubemus. Et quamdiu in saeculo te Deus suprestitem esse voluerit, rogo ut ad meam commemorationem digneris venire ; et domnus abbas vel congregatio sancti Petri et Pauli dignam tibi honorem impendant.

Hos has liberas liberae suae esse jubeo: Lebigiselo cum uxore et filiis : Chinemundo : Chrodosindo cum uxore et infantes : Theodogundi et filio suo Lopo et filia sua Emmane, cum uxore et filiis : Ebreleno cum uxore et filiis : Gaviulfo, Hiliano, Picoaldo cum uxore et filiis : filio et filia Maurello. Similiter et famulos meos, qui michi deservire videntur, tam natione romana quam et barbara : id sunt : Teodane, Bajone, Baudasindo, Mauro, Austrehario, Audisgisilo, Vetegisilo, Bercehano, Quotane, Alagise, Loedegiselo, et filiis Theodonivie. Hujus omnis ad integrum ingenuos esse jubeo, cum omni peculiari eorum quod habent aut deinceps laborare poterunt ; et defensionem sanctae

basilicae domni Petri et Pauli apostolorum, ubi corpusculo meo in Dei nomen opto requiescere, habere mereantur; ita ut unusquisque, tempore depositionis suae conveniant, et oblata tantum nominis mei ante sanctum altarium offerant vel recenseant, et ministerium qualem egisse visi sunt, unusquisque, in Dei nomen, in praedicta die observent ; et abbati loci illius solacium praebeant, et postea in crastinum, abbas del illis dignam refectionem, et unusquisque ad domos eorum revertantur, tam isti quorum nomina hic continentur, vel quos postea de gente barbara comparavi, aut adhuc comparare potuero, tam pueri quam puellae, qui a me empti noscuntur ; et epistolas eis feci, et ipsi in integra ingenuitate perdurent ; et hoc observent quid et phariseorum, et toti sub tuitione et defensione sancti Petri perseverent ; et das gustaldus qui voluerent ex ipsis cum ipso abbate consistere vel basilicae deservire, de rebus sanctae basilicae ditentur ; ut eis inelius delectet sepulturolae mae impendere honorem et sanctae basilicae deservire. Et qui hic in Cenomannico terraturio manere noscuntur, defensionem sanctae basilicae domnorum apostolorum Petri et Pauli se habere noscuntur, si necesse fuerit. Et abbas ille, cui basilica sancta ad regendum et gubernandum commissa fuerit, omni tempore, de eo quod inibi a me collatum est, depositionem ineam et lumen sepulturolae meae, annis singulis, taliter studeat celebrare, qualiter aliis delectet loca sanctorum in maximis rebus ditare. Quod si abbas ille qui exinde negligens fuerit, cognoscat ante tribunal Xpisti, cum domnis Petro et Paulo apostolis, ex hoc habere actionem et perpetuam suscipere dampnationem. Illos vero, quos de ratione aecclesiae, per singulis festivitibus in albis, per epistolas

relaxavi aut relaxavero, sicut epistolae eorum edocent, sub tuitione et defensione sanctae aecclesiae repedeant.

Et quia casus humanus multos dubios reddit, et ego vereor, ne, quod Deus avertat, devotionem meam iniqua cupiditas, quae malorum radix est, in aliquo frangat : conjuro te, domne sacerdos, quem post me Deus esse voluerit, per illum iudicium tremendumque diem, — sic in aeternum beatitudinis praemium adipiscas, et non cum Juda dampnationis partem adquiras ! — ut in omnibus, voluntatis meae arbitrium impleas ; vel dum te Deus superstitem esse voluerit, custodire intendas omnia. Tamen libertatem dabit perpendere, qui voluntati suae iudicium firmiter desiderat permanere. Rogo, cum testamentum meum a domnis et comprovincialibus meis fuerit apertura, tunc per manum archidiaconi, centum solidi per domnum episcopum Turonicae civitatis, ad sepulcrum domni et peculiaris patroni mei sancti Martini antistitis, ubi eomam deposui, et annis singulis tributum meum ibidem reddidi, transmittantur.

Similiter ad basilicam sancti Albini antistitis, per manum Andegavi pontificis, solidi quinquaginta dirigantur, quos soli per sacellos, separatim cum brevicellis sigillatis, ad unumquemque locum, sicut superius memini, in manu, fideli dispensatori commendavi, sicut pagina testamenti mei eloquitur dispensandos.

Tibi vero, archidiacone, demando atque praecipio, ut per omnes basilicas quae circa civitatem nostram esse noscuntur, hoc est : basilicae sancti Victurii peculiaris patroni mei, dabis solidos XX : basilicae domni Vincentii, ubi sanctus Domnolus episcopus requiescit, in honore ipsius martyris vel domni antistitis, dabis solidos XX : basilicae sanctae Mariae vel Sanctae Crucis dabis solidos X : idemque basilicae sancti Richomeri, solidos X : basilicae sancti Juliani episcopi, aut caballum, aut in aurum, dabis solidos V : basilicae sancti Hilarii dabis solidos V : ad oratoria domni Martini, domni Victorii, vel sancti Petri intra muros,

dabis in aurum aut in caballos solidos V : basilicae sancti Stephani martyris, aut in aurum, aut in caballos dabis solidos V.

Similiter volo ac jubeo, ut omnibus clericis nostris, qui hic in aecclesia deservire noscuntur, de quibus aut in quibuslibet rebus : quinquaginta solidos dones. Illud vero specialiter rogo, ut in superscripta loca, ubi aliquid, non ut decuit, sed in quantum virtus praevaluit, delegavi, nomen meum ac sacerdotes illorum in libro vitae jubeant adscribere, et per singulas festivitates recitari.

Libet superius hoc intimare debueram, quid cineribus meis deservire deberent ; sed quia non habui integre perscrutatum de familia mea, quorum hoc agendum committerem ; ideo michi convenit, ut de quantiscumque villis sanctae basilicae domni Petri et Pauli heredis meae delegavi possidendas, ut singulos condomas de unaquaque villa qui nitidiores esse noscuntur, et nos vel basilicae sanctae fideliter deserviunt, volumus nomina eorum in una epistola conscribere, et manu nostra firmare, ut integro relaxentur a servitio, et ipsis una pariter cum abbate, de sepulturola mea, tam de luminario quam de cineribus meis, integra eis sit cura usque die ultimo vitae eorum ; tam illi quam soboles qui ex ipsis fuerant procreati, in perpetuo debent cum integra diligentia deservire, et ingenuitas status illorum sub defensione ipsius abbatis debeat perpetualiter perdurare.

Sed quia nos de familia sanctae aecclesiae nichil nec cineribus nostris, nec dispositione facienda praesumimus injungi aut relaxari, sicut domni et antecessores nostri fecerunt ; simili modo jubeo, ut si aliquid michi minime in mente fuerint de meis famulis, aut germani mei Bertulfi quondam, et haec in Cenomannico manere videntur, toti absoluti sunt a servitio, et defensionem

vel tuitionem sanctae basilicae domni Petri et Pauli, sicut reliqui liberi mei, habere mereantur. Illos vero quos de captivitate redemi, et ante ingenui fuerunt, et modo pro pretio servire videntur, tam viri quam mulieres de villa Boalcha, omnes a servitio relaxentur. Ad matriculas capitalis in civitate vel qui per basicolas sunt, per manus archidiaconi, quinque solidos jubeo dari.

Quia deliberationis meae arbitrium opto per hunc testamentum firmiter conservare, ideo conjuro vos, domni et pontifices, per sanctum apostolatum quem divina traditione accepistis, ubicumque necesse fuerit, basilicae meae vel abbati loci illius semper solatium praebeatis ; et tale consilium domno et successori meo instruite, ut de id quod sanctae basilicae, in honore domni Petri et Pauli apostolorum, pro animae meae remedium deputavi, nichil exinde minuet ; nee per qualibet occasione aliquid debeat fraudare : quia ego nullum dispendium me sanctae aecclesiae generasse cognosco. Similiter conjuro vos, omnes, per victimas clementissimorum principum, qui in saeculo virtutem agendi apud ipsos domnos et principes nostros habetis, ut si necesse fuerit, semper defensionis vestrae auxilium huic paginolae non negetis.

Adhuc parva memoravi quod valde in oblivione tradidi. Domum vero Diablentes quam meo opere aedificavi, cum curte et stabulum et ortus et colonicas, quicquid eundique, tam de Bosone presbytero quam de heredis Eboleno, Trilono, loco quae ducitur Galviaco, vel undique in opidum Diablentis, juxta ripam Aroene fluviolo comparavi, tam terris, mancipiis, silvis, pratis et omnes jure suo, cum Taxonaria, quam vindicavi contra Leutcheri et heredes suos : totum et ad integrum, te, sacrosancta aecclesia heres mea, habere volo ; excepto res antiquas sancta aecclesia Diablenticae, idemque et portiones illas, quas michi

Gunherus in omnes res suas, per donationes contulit : et ipsum conjunctum apud ipsam casam Diablenticam, te, sacrosancta mater et heres mea aecclesia, habere decerno. Casellas illas quas bonae memoriae Domnigisilus diaconus ex nostro munere habuit, et ipsi pauper inibi aedificavit, et nos post illius obitum, dulcissimo nepoti nostro Leudochramno concessimus, cum omnes casellas, custicella, vineola, campellos, et quod ibi ipse diaconus habere visus fuit, cum mancipiola illa qui inibi habere videntur : volumus ut ipse nepos noster, dura pro amore nostro frequens ad basilicam sancti Petri et Pauli apostolorum venire deliberat, sicut et nos in testamentum scripsimus, volumus ut ipsas, cum gratia pontifice successore nostro, semper possideat ; sic quoque ut post obitum illius ad jus sanctae aecclesiae revertatur.

Nam et ego in praesenti denuntio, ut si quis contra hanc voluntatem meam venire temptaverit, excommunicatione perpetua feriat, et in tale in ipsum Dei iudicium ostendat, ut lepra Naaman percussus, terra ipsum sicut Dathan et Abiron absorbeat ; et sic ultio divina in illum appareat, et in praesenti saeculo se male egisse cognoscat, et in futurum iudicium, numquam remissionis veniam consequatur.

Si quae litture si quae caraxature, si quae litterae adjectae sunt vel detracta, ego feci fierique jussi, dum meam michi saepius praelego voluntatem ; et omnia per singula recognosco vel emendo. Ut lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus et sigillis credidi muniendum, et pro totius rei firmitate atque stipulatione adnecti praecepi.

Actum Cenomannis in civitate, die et anno superius comprehenso.

Bertichramnus in Xpisti nomine, acsi indignus episcopus, testamentum meum, quem filio meo Ebbone notario scribendo

dictavi, relegi et subscripsi. — Guntinus honoratus subscripsi, rogante domno Bertichramno. — Dado, rogante domno Bertichramno, subscripsi. — Signum Gaerinus, rogante domno Bertichramno, subscripsi. — Ibbolenus, rogante domno Bertichramno, subscripsi. — Gaddo, rogante domno Bertichramno, subscripsi. — Signum Hugo honoratus subscripsi. — Ego Ebbo notarius, jubente domno meo Bertichramno episcopo et ipso praesente, hoc testamentum scripsi, relegi et subscripsi, notavi diem. Similiter ego Bertichramnus episcopus rogo filio meo archidiacono, ut cum testamentum meum apertura fuerit, ipso prosequente, gestis municipalibus secundum legem faciat alligari, quo semper firmiter perduret.